



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Statv Religionis Christianae, Per Evropam, Asiam,
Africam, Et Orbem Nouum, Libri IV.**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1619

Cap. XIX. De Christianis S. Thomae in India Orientali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11108

subditis, alij gentiles, aut Mahometani, cum quibus Lusitani ferè habent bella.

In ea insula duæ sunt arces seu opida Lusitanorum, gregiè munita, *Columbo & Salte*. In priore habent Patres Soc. Iesu Collegium, Columbense hinc dictum, cum VII. Residentijs, vt vocant, seu domicilijs minoribus illi annexis.

CAPVT XIX.

DE CHRISTIANIS S. THOMÆ,
in India Orientali.

IN regione, quam *Choromandel* vulgo nuncupant, sita est Meliapora (vt indigenæ loquuntur) vrbs copiosa ac frequens, quæ *S. Thomæ opidum* hodie Lusitani appellant, in ora Indiæ maritima Eoi lateris, Goano obiecti. Visitur hic templum *S. Thomæ* Apostoli per celebre, quod ipse ex Idolorum fano in veri Dei Basilicam conuertit, nō Christianorum modò peregrinorum, sed etiam Ethnicorum ac Barbarorum frequentia hodieque nobilem: vbi proximo in colle cœsus, & sepulturæ mandatus Apostolus traditur. Cernitur & hic faxum eiusdem Apostoli cruore respersum, quod triduo ante ferias Apostolicæ mortis, inter Missæ solennia rubescit, cum ipsum natura sua candidum sit,

& san-

& sanguineo velut rore, quamdiu diuina res agitur, stillat; quā peractā ad veterem candorem suum redit.

Cæterū Meliapora Episcopum hodie habet, Goano Archiepiscopo suffraganeū. Quæ quidem vrbs tametsi frequens à Lusitanis incolebatur, ad nostram tamen usque ætatem Regi Bisnagæ paruit, illi que tributa pendit. Habebat is arcem munitissimam, urbi imminentem, cum præsidio mille circiter quingentorum militum. Eam seruitutē, aliaque indigna, quæ à ministris Regis patiebantur, nō ferentes Lusitani, intenti in omnem libertatis occasionem, ciuilia pro regni successione bella minimè neglexerunt, & anno circiter Christi 1615. arcem obsederunt atque expugnatam Proregi Indiarum, Regis nomine, tradiderunt, vñā cum pagis adjacentibus triginta.

Præter Meliaporam, inhabitant veteres isti Christiani Thomæi insuper Crangonaram, Negapatatum, Vaipicotam, Angamalam, aliaque opida vicina. Sacra sua idiomate Chaldæo celebrant.

In vrbe Angamala solet residere ipsorum Metropolitanus, quem Patriarcha Babylonicus Chaldæus ipsis dare & confirmare consueuerat. Sed Patrum Societatis Iesu in primis diligentia (qui Meliaporæ & Vaipicotæ sua habent Collegia ac feminaria) ma-

ior eorum pars, Nestorij aliorumque erro-
ribus relictis, ad communionem Ecclesie
Romanæ postliminio rediit: defunctoque
annis superioribus Metropolitano Chal-
dæo, successorem illi Archiepiscopum An-
gamalensem Clemens VIII. Papa constituit
vnum ex Soc. Iesu. Ita tradit Petrus Strozi,
in sua Disputatione de Chaldæorum dog-
matibus, Coloniæ anno 1617. edita.

C A P V T X X .

DE M A L A C A , I N D I A E
emporio celeberrimo.

MAlaca vrbs frequenti emporio no-
bilis, ultra Gangem fluuium, in Au-
rea Chersoneso sita, ab equinoctiali
linea duobus fermè gradibus, Septemtrio-
nem versus, abest. Gaudet imbris ferè
quotidianis, quibus & nimius solis æstus té-
peratur, & terra perpetuò virescit. Ex quo
liquet, veteres olim Philosophos errasse, qui
regionem hanc torridam nequaquam ha-
bitabilem esse crediderunt. Hac in Sinarum
regnum, & Iaponiam, hac ad Molucas, Ban-
dam, Iauam, aliasque Indiæ insulas nauiga-
tur.

Episcopum hodie habet Malaca, Goano
Archiepiscopo suffraganeum, Collegium
item